

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. Some words are written in red ink (rubrication).]*

Communicata  
in decem





M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß  
1831 oho



SYNODVS AVI  
VM DEPINGENS  
MISERAM FACIEM ECCLE  
SIAE PROPTER CERTAMI  
NA QVORVNDAM, QVI DE  
PRIMATV CONTENDVNT,  
CVM OPPRESSIONE  
RECTE MERITO.  
RVM.





SYNODVS AVI

VIM DEPIINGENS

MISSERAM FACIEM ECCLES

SIAB PROPTER CERTAM

NA OVORVNDAM QVI DA

LA PRMATV CONTEINDVNT

QVM OPPRESSIONE

AVI

AVI

AVI

AVI

AVI

AVI

AVI





## SYNODVS AVIVM:

**E**X quo Cygnus ouans fatalia munera soluit,  
Qui liquido summum compensans carmine finem  
Diuinam sobolem docuit resonare uolucres:  
Continuo uisum est aibus cantare peritis  
Cogere conuentum, uacuis ut sorte reponant  
Sedibus artificem, cuius censura sonoras  
Digerat alituum linguas, qui iura uocatis  
Poneret agminibus, melior qui carminis author  
Inter aues dubiam posset dissoluere litem.

Accingunt se omnes sorti, pars asserit ipsum  
Portendi fatis Cuculum, latiscq; uocari  
In regna auspicijs: uoluit quia pectore sortes  
Augur, & aduentu tempus præcurrit apricum.

Sunt quoq; qui Gallum suadent in Sceptra reponi,  
Indice cum Petri lapsum clangore notarit,  
Quando fides linguæ renuit temerata magistrum.  
Idem etiam indicio rudibus solet esse colonis  
Aeolijs fratres qua nam regione ferantur.

Nec minor est numerus Merulam qui poscere sortes  
Inculcant, pronoq; ferunt suffragia uultu.  
Fallitur, & fallit uulgi qui pendet ab ore.  
Pronum iter ad lapsus uulgi sententia ducit.

A 2

Sed uolucres



Sed uolucres quarum melior sententia menti,  
Mansuetæ uolucres, operam quæ nempe canoris  
Vocibus impendunt, uno omnes ore loquentes  
Vota dabant Philomela tibi, quam docta uetustas  
Incita delitijs cantus Aedona uocauit:  
Cui Deus & Musæ blandas in carmine uires  
Suffecere, fugant curas hominesq; feræq;  
Illa canit, plausu cordis salit abdita uena.  
Non illam stimulis carpendi sæua cupido  
Suscitat, haud rostro metuenda ac unguibus uncis.  
Sola auium summæ non horret acumine linguæ.

Dumq; in confesso primo fors cœca uagatur,  
Atq; animos nunc huc celeres, nunc diuidit illuc,  
Exemplò se quisq; suis è sedibus aufert  
Incertus quo fata cadant, quem numina poscant,  
Nec minus hi tabulæ mandant consulta fideli,  
Inq; fori rostro facti monumenta relinquunt.

Interea uolucres quarum data nomina forti,  
Astu rem superant, & partibus agmina furtim  
Adsciscunt conflata suis, & foedere pacis  
Sollicitant qui frena fori commissa gerebant.  
Nec Philomela dolos agitat nihil illa moratur,  
Turpia laturos spretis suffragia diuis,  
Progeniem nidosq; fouet cum gente canora.  
Nec se passa loco est Borea stridente mouere,  
Quamuis multa piam iaciebant Saxa uolucrem,  
Et circum Illyrica pice nigrior horruit æther.  
Sedit orans animis, atq; in statione remansit

Laude



Laude Dei plenas iactans ad sydera uoces.  
Circum prata uolans riuus quæ semper ab albis  
Sparguntur, pinguesq; creant animalibus herbas.

Dumq; noui rursus conuentus copia facta est,  
Instructi socijs obeunt tempusq;, locumq;.  
In Merulæ causam descendit in ordine primo  
Turdus edax, cuius fruticans de stercore uiscum  
Editur in ramis, sterilisq; in tempore brumæ  
Fronde micat uiridi quod non sua seminat arbor.  
Cognati & generis uolucres se cœtibus addunt  
Queis uicium è baccis facilem dumeta ministrant.  
Hinc uireo tepidis nostras qui mensibus oras  
Visit, & Arcturi rursus sola mutat ab ortu,  
Composuit Merulæ se partibus, & fora pressit,

Mox se congressum in medium tulit æmula Pica,  
Quiq; Merops maculis dorsum uariatur amænis,  
Ac ululæ riguam dira quæ uoce quietem  
Discutiunt, radios exosæ lucis apertæ,  
Addunt se socias atq; agmina conscia iungunt  
Cristatæ uolucris, rostro quæ clangit, & alis  
Plangit ouans alti fumoso in culmine tigni.

Ponè latus Cuculi incedunt quæ liquida stagna,  
Sectantur uolucres, mergi fulicæq; marinæ,  
Authores pluuiæ tempestatumq; sonantum.  
Cernitur has inter Vulcani subdolos ales  
Clandestina ferens Cuculo suffragia Phœnix.  
Rara auis illa quidem circum caua littora, sæuis

A S Impatiensq;



Impatiensq; maris, nec confociabilis ulli,  
Improba quæ soluit garribus ora, uolucris:  
Attamen applaudit Cuculo, nec secius illum  
Ipse suis plausum facientibus excitat alis,  
Quam faber admotis qui follibus excitat ignem.

Stant contra innumeræ uolucres quæis carmina cus  
Præsertim Cuculo uires intendit Alauda, (ræ.  
Et uictum in dumis quæ carpere gaudet Acanthis,  
Atq; alacrem Fringilla sonans arguta tenorem,  
Et Curruca timens ingrato ex hospite stragem,  
Omnes dulcisonam uotis Aedona perebant.  
Illam laude uehunt præstet quia laude canendi,  
Verum hæc non uoluit se cœtibus addere, prauis,  
Vidit enim Cuculum magna uolitare caterua,

Tum quassans caput hæc Coccyx ex ore profudit:  
Non latet, ô uolucres, Cygnum quod fata tulerunt,  
Atq; ideo regnis ductorem poscere sortes,  
Quem penes arbitrium est, & uis, & norma canendi.  
Consulite in medium, quem fors uolet arbiter esto.  
Nam uereor scissam studia in contraria gentem  
Prædonum arripiat rostris ne exercitus uncis.  
Quare agite ô lapsi generis reparate ruinam,  
Ut coeant stabuli fatorum numine mentes.  
Fas etiam premere imperiis, ac addere mulctam,  
Olim qui nostras tenuatim euertere uires  
Conati, & plumis inoperta relinquere membra,  
Quos ego: Sed medijs uox rupta in faucibus hæsit  
Collisu, & foedis singulibus impulit auras.

Inuenti



Inuenti tamen interea qui pingue sonantem  
Exciperent plausu, dum flaccida carmina stultus  
Collibus & Saxis delyro narrat ab ore.  
Stulta placent uulgo, studijs certamina crescunt.  
Præsertim Merula applaudens his uocibus infit:  
Fas tibi me cessisse loco, tibi Iupiter æquus  
Annuit imperium, tu nunc eris alter ab illo,  
Quamuis tu niger es, quamuis sit candidus ille,  
Et te uulgo amat, uulgo tua carmina curæ,  
Tu pueris responsa refers cum tempora uitæ  
Scitatum balbis poscunt oracula linguis.  
Sis bonus ò foelixq; tuis, tua iura uolentes  
Accipimus, nec nos Cuculo parere pigebit,

Non tulit ulterius Bubo, sed talibus infit:  
Non ò non uolucres, non hoc rationibus ullis  
Sors uelit, à diuis meliorem poscite mentem.  
Non ò non uolucres, non si mihi Iuppiter autor  
Spondeat hoc sperem pacem contingere rege.  
Quandoquidem à nobis fatorum exquirere sensus  
Agmina uestra solent, nec uos latuisse putandum est,  
Quod lini segetem præcepi auellere sulcis  
Dum rudis exigua latuisset messis in herba,  
Ne uos texta olim traherent, & abire uetarent.  
Quare agite, ac animis quæ dicam expendite uestris,  
Non Cuculum ex adyto sortes, non plurima cœlo  
Monstra sinunt Cuculum gregibus dare iura uolantum,  
Sors cadit in Gallum, namq; illum poscere fata  
Et reor, & monitis si quis locus amplius, oro,  
Nec somno indulget, sed cum intempesta silet nox.  
Plumeaq;



Plumeaꝑ in syluis repetunt animalia nidos,  
Scilicet & rostrum tepidas fixere sub alas :  
Clangit ad arma furens, & uoce silentia turbat,  
Et rostro fractos sonitus imitante tubarum  
Excubitor lucem mortalibus indicat ales.  
Idem etiam pugnīs aptus, nemo acrior illo  
Vngue notare hostes & rem decernere rostro.  
Tum uocem excepit Fringilla loquentis ab ore :  
O si non pluuia, nec tempestatibus atris  
Seruīret, pennasꝑ ad motum uerteret auræ  
Gallus quem uarijs in cœlum laudibus effers,  
Sicꝑ utinam pugnīs aptus, ne turgida pulsu  
Soluere labra queat : certe nemo acrior illo  
Ante aciem, solus non mille uerebitur hostes,  
Stare loco nescit, micat eminus & tremit alte,  
Et leuior folijs quauis impellitur aura,  
Quæ nam igitur uolucres, quæ uos sententia cogit  
Præficere imperio Gallum, qui in sorde solebat  
Stridenti miserum rostro disperdere carmen,  
Qui rostro petit, & pedibus qui spargit arenam.  
Qui Cuculum non odit, amet tua carmina Galle.  
Nos legimus regno uolucrem cui cura modestæ  
Pacis erit, doctæ cui copia uocis in ore est,  
Sed ueterem repetit Coccyx in fronde tenorem,  
Nec certa regione loci, nec lege tenetur,  
Nec præsens habet ille fidem, licet arbore in illa  
Confessu medium sese tulit, ocyor Euro  
Turpe iter arripuit, sedemꝑ in uoce reliquit,  
Et singultanti inuoluit nemus omne ululatu.  
Ponè stat, & mœsto tundit sua pectora planctu  
Suppositum



Suppositum Curruca uocans in crimen aluum,  
Et Cuculi nomen defert de caede peracta.  
Hostis ut hospes erat, generis nam funere nostri  
Ingluuiem expleuit natosq; ante ora parentum  
Immersit rabidam, quod nec bene uertat, in aluum.  
Me quoq; ab infido nil hospite tale timentem,  
Plura locuturae lacrimae super ora fluebant.  
Substitit, & uocem mediam indignata repressit.  
Excipiens Fringilla sonum mox talia subdit.  
Hic quoq; cum tropico Mars uertitur in Capricorno  
Vertit terga fugae, & putri se occultat in aluo  
Arboris, eiq; hominum aspectu sua subtrahit ora.  
Hinc illi obijciunt uates pro carmine crimen,  
Quod salice exesa lapsus discrimine uitae  
Pressit humum, turpi foedatus puluere uultum.  
Vidi ego nec fallor, dum lustro uolumina iuris,  
Censurae exemplum flammis quae destinat ipsum,  
Nam Sarmenta focus postquam congescit alendis  
Cultro agri, & trunci nemoris caua robora passim  
Voluit, & hyberno iam in sidere subdidit igni,  
Ille ubi sufflato sua membra uapore resolui  
Senserat, ardenti sonitus emisit in antro,  
Verratus apricum mediae sub frigore brumae.  
Si quis in ambiguo est, quantum focus aetheris igne  
Discrepet, ille foci crassus uapor, & leuis ignis  
Aetheris inter se qua sint ratione repulsa,  
Et quantum hyberno tepidum uer frigore distet:  
An uolucrum norit discrimina ponere linguis?  
Quin etiam furiae quas ipsa est stirpe parentum  
Induit, incessunt stimulis praecordia, ut omni  
Impete bellorum feruens Aedona lacestat.  
Illa canit, strepit opposito rudis agmine Coccyx.  
B Certandi



Certandi studio, crudoq; fatiscit hiatu,  
Quo morfu appetijt mansuetas prædo uolucres?  
Quod superest, quoniam cœtu conuenimus illo  
Et calamos inflare leues, & dicere uersus:  
Tum missum facite ò proceres genus omne uolucrum,  
Quod curuo increpitat rostro, strepitumq; retusum  
Mittit, & offendit diris stridoribus aures.  
Hei ualeant omnes genij, qui iura canore  
Inuertunt ficto, peregrinisq; æmula linguis  
Soluere rostra student, hominumq; illudere uoci,  
Vt Merula, & nigris uelata Monedula pennis,  
Picaq; quæ uarias emittit stridula uoces,  
Et picæ uolucres rutilis in tergore guttis.  
Occinit his contra ferali carmine Bubo.

Hæc Fringilla tibi potior sententia uisa est  
Forfitan, & proprio sic digeris omnia solus  
Arbitrio, & lalemo tua guttura soluis equestri.  
Credimus an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Cui Fringilla refert, ò narrans plurima Bubo,  
Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo  
Musa loqui, & uocum iussit discrimina nosse,  
Et suaves auium cantus discernere sensu:  
A Cuculi strepitu, coruorum à carmine crasso,  
A Galli crepitu, & Picæ stridore loquacis,  
Idcirco resonam quia poscunt fata uolucrum,  
Debentur meritò Philomelæ regna canoræ.  
Nec me quisquam adiget uocem mutare, plumq;  
Consilij fœdus, dum Spiritus hos reget artus.

Annuit & partes assensibus implet Acanthis,  
Tandem



Tandem pauca refert: ego te, quæ dulcia grato  
Ora sono soluis, nunquam Philomela negabo  
Promeritam, nec me mea carmina ab ore pigebit  
Composuisse tuo, nec Musis gratior ulla est,  
Quam sibi si qua tuum præscripsit pagina nomen.

Tum sic incutiens cristas excepit Alauda:  
Idem animus nobis, nec erit qui tendere contra  
Iure queat, sacrasq; infectum reddere sortes.  
Scitis aues, scitis, quod idem mihi nomen & omen,  
Et me iam pridem uates à laude uocarunt.  
Nec mihi iam subeat nomen mutare uel omen,  
Ergo ego laude ueham gratis hominesq; deosq;  
Per liquidos auræ tractus cum carmine tendens.  
Dumq; cano, pulsæ referunt ad sidera ualles,  
Et linguam soluo suprâ caput arua colentum  
Qua soleo curas animis auertere mœstis.  
Huic uolucris acceptum, si quid mea carmina possunt  
Refferimus, uotisque illum hæc in regna uocamus.  
Sic ait, & misso rursus uelut ante Senatu  
Tollunt se uolucres celeri super aëra lapsu,  
Nam fors euentu congressum ludit inani.  
Grammatici certant, & adhuc uelut aspera uersis  
Flatibus ambigui committunt prælia uenti,  
Et magna inuoluunt umbra terramq; polumq;  
Iamq; in procinctu Cuculus per tesqua uolutus,  
Errat inops animi & se putre recepit in antrum:  
Qualis sæpe rubis latuit nocturnus abactor  
Qui pecudum numeros minuit, fessosq; uiantes  
A tergo superans lætalibus obruit armis.

Cumq; nouum uegetis reparabat flatibus orbem

B z

Verna



Verna dies, denso spargens rus omne uirore,  
Et tepidam uolucres mulcentes cantibus auram  
Signa dabant: Cuculus plumis petit arua renatis,  
Atq; rudes foetus Currucæ in tecta reponit,  
Et morfu uiolans parua bibit oua parentis.  
Cumq; infirma parens intenso ardore reclusit  
Ambiguam prolem toto quæ uertice supra est,  
En rabie pectus uentrem stimulante, tenellis  
Excepit uictum natis, dehinc uertere morsus  
Exiguam in matrem penuria adegit edendi.  
Ecce autem Philomela tuos postquam hausit uterq;  
Concentus, & uox offensa resultat in aurem,  
His super accensi confusa mente ruebant  
In fremitus, quia nam cantus exosa strepentes  
Gens Auium docto Philomelæ ex ore pependit.  
Qua propter uolucres iam rursus in agmina cogi  
Edicto iubet, hæc cœtu subiere frequenti,  
Ac Aedona parant rabidæ sociare uolucris,  
Aut, quod fata prius conuertant omen in ipsas,  
Seu ui, siue dolis Philomelam absumere certum est.  
Sensit enim se ignominiam pro laude referre,  
Seq; pati turpem spreta cum uoce repulsam,  
Carmina dum sanas Philomela referret ad aures  
Id metuens, trahit in partes qui pacis iniquæ  
Imponat leges, & pectora foedere iungat.  
Atq; huius fidei res componenda relicta est.  
Et quia felle caret res est commissa columbæ  
Sæpe uicem fidi quando cursoris obiuit,  
Nuncia quæ ramum semper frondentis oliuæ  
Ore uehens, specimen dilapsæ præbuit undæ.  
Sed renuit, duramq; uicem uersare recusat  
Non operam impendens ullam non æqua roganti  
Antra



Antra colo, & teneros labor est educere foetus,  
Non nostrum inter uos tantas componere lites,  
Mecum habito, & uitæ cursum sine fraude peregi.  
Sed si tantus amor paci submittere mentes,  
En adsum, tuæq; en ultro mandata facessam.  
Neu me alias tanto exponat mens leua periclo,  
Ut subeat diræ gentis penetrare latebras,  
Et Cuculi præsens audire & reddere uoces:  
Non bene cum placidis immitia corda cohærent.  
Et si rite memor maiorum exempla reuoluo,  
Sueuit in accipitris cuculus migrare figuram,  
Ut quondam exuijs Erucae blatta creatur.  
Crines, non animum mutat lupo intus auarum.  
Hæc ubi dicta, uouent furiarum in iura columbam,  
Et numero excludunt hei plana & sana loquutam.  
Iamq; iterum sors missa cadit, teq; Ispida Cocyx  
Adiunctam Merulis quæ liquida stagna frequentant,  
Ire iubet tabulis instructam ac arte Pelasga.  
Illi pauca refert Aedon, quia uerna subibant  
Tempora cum dulcem sub apertis ætheris oris  
Funderet illa sonum, carmenq; referret ad auras.  
Parua mihi uox est, parui sine uiribus artus,  
In statione mea mandato munere fungor  
Ora Dei iussu soluens, teneramq; laboro  
Progeniem antiquam sub relligione tueri,  
Quæ potui feci, commisi cætera diuis.  
Sed passim tot monstra fera, obscenæq; uolucres  
Intentant mortem nec quæ sit causa uidemus,  
Omnibus inuisi uirales carpimus auras.  
Sæpe mihi scrobibus fraudes posuere cauatis  
Sæpe sub exitium dapibus iraxere repostis.  
Sed Deus est cui grata cano, sortemq; laboris

B 5

Impendo



Impendo & teneros educo in regna nepotes,  
Ille tegit iustos, illi mea carmina curæ.  
Non mihi cum Cuculis in fœdere gratia constat,  
Nec mea ad immanes componam guttura uoces.  
Ipsi more suo feriant clangoribus auram,  
At mihi tranquillæ placeant ante omnia Musæ,  
O mihi si tumulo tum molliter ossa quiescent,  
Si purum pietatis opus pacemq; relinquo.  
Vis ergo inter nos quid possit uterq; uicissim  
Edamus specimen, per me mora non erit ulla,  
Incipiat finemq; exacto carmine tangat.  
Hæc contra Cuculo retulit mandata uolucris  
Singultum in dumis solito de more canenti.  
Tum se quisq; fori rursus è statione mouebat,  
Fata obstant uiresq; negant in cœpta secundas.  
Sed quid agunt? illis nil linquere suasis inausum,  
Seu dolus aut uirtus, nam tanti in fœderis ictu  
Non operæ parcit Trochilus, quæ prouida cœli  
Impendere niuem, Cuculi quæ cantibus obstet,  
Sensit, & hinc uoluens sua membra, iterumq; reuoluens  
Ora uolubilibus contorquet stridula cannis,  
Tinnitusq; ciet lenes: ceu quando magister  
Torquet agens circum luteas uertigine testas  
Leuorem inducens speculi de more nitentis.

Atq; his atq; alijs innoxia cantibus ales  
Tunditur, & uoces duras tractabilis audit.  
Mens tranquilla manet, non ullis illa mouetur  
Ictibus, haud auium fora, nec rabida ora moratur.

Et iam finis erat, postquam sententia lata est,  
Quæ rostri pro lege sui componere uocem  
Imperat,



Imperat, ut fissis didicerunt carmina linguis:  
Sint uice suggesti coruo crudelia tigna  
Furcarum, atq; illic generi det iura rapaci,  
Stridula porticibus iactet se Noctua uastis,  
Stagna colat Merulae genus, & uada coerulea pontis,  
Plaustra premat Gallus, spolijs armata cruentis,  
Aut ubi cortis aues foetus in cratibus edunt,  
Cum Scythiae populis ineat certamina Gryphes,  
Et cesset putres auibus componere pisces,  
Nec uolucrum certet linguis uelut amula rana,  
Quae cum sit sub aqua, sub aqua maledicta refundit.

Sed sedem in tilia teneat Fringilla uirenti,  
Saltibus in laetis Aedon, Cassita sub aruis:  
Donec tempus erit quo corruat ardua coeli  
Machina, complexuq; premat genus omne uolucrum.

## IDYLLI





IDYLLION DE PHILOMELA,

**V**ER erat, & lenem meditans spaciabar ad Albim,  
 Ore facit dulces qua PhiloMela sonos.  
 Quæ quantum reliquis præstat moderamine uocis,  
 Respectu reliquis tam solet esse minor.  
 Hæc sedet insomnem cantu solata laborem,  
 Laudat & in ramo grata uirente Deum,  
 Vtq; animum cœpit uocis mulcere uenustas,  
 Miror & argutos & sine felle sonos:  
 En strepitum rostro turpes fecere uolucres,  
 Et stomachum mouit stridula turba meum.  
 Hanc uagus infestat Cuculus certamine linguæ  
 Fundens deliris flaccida uerba modis.  
 Huius spuma solet raucas generare cicadas,  
 Cum folia immundis polluit ipse notis.  
 Iungit se comitem stridenti carmine Gallus,  
 Turbatrix placidæ nempe quietis auis.  
 Et procul innocuum pennis se tollit in hostem,  
 Arteq; cum nequeat, Marte nocere cupit.  
 Hinc immunda suas quoq; conferit Vpupa uires  
 Vpupa Stercoribus semper odora suis.  
 Hinc Merula impellit calidas in iurgia mentes,  
 Pectore nigra suo, uoce Superba sua.  
 Tu quoq; uoce furens clangorem mittis Osyna,  
 Consita quæ multo pisce fluenta colis.  
 Quem mihi spes fuerat pacis Sarcire ruinam  
 Consuit in rixas fragmina trita nouas.  
 Improbus Agricole fumoso Gryllus in antro  
 Hanc quoq; stridenti uoce lacescit auem.  
**N**ec Philomela suæ differt modulamina linguæ,  
 Sed spargit uario nun tia lata sono.

Ac



Ac aduersa pio uineit mala corde ferendo,  
Pacis amans uulgo iudice spretus erit.  
Talia dum cerno peragi spectacula cantu  
Alloquor: o uolucris quæ mihi sola places:  
Quas tibi, quas tali reddam pro carmine grates?  
A scrobe conseruent Dii tua membra diu.  
Te semper mea uita sequar, tibi luce canenti  
Tendimus has aures, cætera turba uale.  
Quem tua non captum mira uox detinet arte,  
Huic Cuculi numeret tempora longa sonus.  
Tempus erit rabidum quando Canis excitat astum,  
Tunc metuens ignem cortice membra teget,  
Stulta leues capiunt animos, sua cuiq; libido est,  
Utrem pro cythara gaudet habere Midas.

### ELEGIA DE STAPHYLO:

ἡ σταφυλὴ σαφὴ ἴσαί, καὶ ῥόδου αὐτὸν ὀλέται,  
Et rosa mane uiget, marcida nocte cadit.  
Vidi ego ceu lauri germen florere malignum,  
Præteriens paruo tempore quero, fuit.  
Sic etsi celebri florere uideris in aula  
O Staphyle, & Cynici dogmata falsa seris.  
Dira q; nunc sanctis Christi minitaris alumnis,  
Et furijs imples corda aliena tuis.  
Inde tamen uictus diuina uoce iacebis.  
Crudeles obitus impius omnis habet.  
Ignea marcentem te numinis obruet ira,  
Ut perit à Solis uicta calore rosa.  
An non à magno qui nomen habebat Iulo  
Floruit, & læsit uicq; dolisq; pios?  
C Floruit



Floruit & causa tandem deuictus & armis  
Dum iacet, & sparsus uulnere sanguis abit:  
Vicisti Galileæ refert, simul iuit ad Orcum  
Vmbra gemens, pœnas & sine fine luit.  
Ille domum bello rediturus funera uouit,  
Sed perit, & bello non redit ille domum,  
Qui dicunt aliter ueri quam conscia mens est,  
Accersunt furias in sua fata graues.  
Sic crepuit tigno dum rumpitur ilia Iudas,  
Pœna uenit grauior quo mage sera uenit.  
Aspice mugitu Latomum sub morte fatentem,  
Se quoq; iustorum sanguinis esse reum.  
Tu quoq; qui flores fato marcebis acerbo,  
Successum impietas nescit habere diu.  
Sed nos Christe doce, uiresq; uocantibus adde,  
Floreat aeterno nomen honore tuum.

ELEGIA DE STAPHYLO

**APOLOGVS**

Staphyle & Cynidogona  
Sic est celebris in salsis  
O Staphyle & Cynidogona  
Dignum non tantis Christi manibus alumnis  
Hæc sunt talia corda aliena tuis  
Inde est uicinis diuisa uoce iactis  
Credes apte caput omnis habet  
Igna marcentem te nuptis obrut us  
Ve perire uisus uisus calore tota  
An non è magno qui nomen habebat Iulio  
Floris & Iulii uisus uisus





APOLOGVS FELICIS FIDLE  
RI IN FRIDERICVM  
STAPHYLV. M.

**T**ERRA soporiferis circumdata palluit umbris,  
Primaq; de pulsa tempora lucis erant,  
Cum liquere domos, quæ tecta laremq; secutæ,  
A sero retinent uespere nomen aues.  
Hæc est obscenis addicta uolucris hora,  
Ut quia sub Phœbo delituere, uolent.  
Iamq; mouent alas, implumeq; corpus in auras  
Tollunt, & cursu præcipitante ruunt:  
Ingeminantq; leues tenui stridore querelas,  
Et sua culpata fata sorore dolent.  
Alcithoenq; grauant odio, uitamq;, quod ausa  
Spernere Lenæi festa parentis erat.  
Et lugent sociæ quod in impietate fuissent,  
Hinc quoq; se factas esse queruntur aues.  
Felicisq; uocant, quibus ad sacraria Bacchi  
Contigit illæso numine ferre pedem:  
Dumq; per obliquos agitantur in aëre tractus,  
Et spacij carpunt liberioris iter,  
Vna ruit præceps & humum propiore uolatu  
Tangit, & in truiuo puluerulenta iacet.  
Ut metuit, terramq; quatit trepidantibus alis,  
Et neq; adhuc uires unde leuetur habet:  
Ingemit: & lapsam terra releuate sorores,  
Quæcolitis cœca tempora noctis, ait.  
Hei mihi quam tristi discrimine capta relinquer,  
Forfan & immiti diripienda feræ.  
Dum queritur, uanisq; preces conatibus addit,  
Nec sua quo tollat membra leuamen habet:

C 2 Prodit



Prodit ab oculis uelox mustella cavernis,  
Quæ coluit uilis proxima tecta casæ:  
Vtq; propinqua fuit lapsæ, premit ore iacentem,  
Et quibus huc properas finibus hospes? ait.  
Tempestiuus ades uitam missurus in auras,  
Cogeris subitam captus obire necem.  
Est mihi perpetuum uestra cum gente duellum,  
Mus es, & à manibus diripiere meis.  
Illa metu trepidat, ueniamq; precatur, & alas  
Explicat, & uolucris se probat esse genus,  
Credula discedit mustella: Sed altera flectit  
Huc quoq; nocturnos insidiosa gradus,  
Captiuumq; uidet, pedibusq;prehendit, et inquit,  
Capta iace, catulis esca futura meis:  
Experire meos ungues: spoliabere uita:  
Persequor aligeras letifer hostis aues.  
Illa metu trepidat, ueniamq; precatur, & alas  
Contrahit, & muris se probat esse genus:  
Euaditq; graues mutato nomine pœnas,  
Dum modo se murem, mox profitetur auem.  
Hanc didicit noster Staphylus quoq; subdolos artem,  
Fata timens rebus non satis æqua suis.  
Ille Borussiacis quo tempore gratus in oris  
Urbe fruebatur Bregela flauæ tua,  
Oderat Ausonij uelut execrabile nomen  
Præfulis: hunc hostem dixerat esse Dei:  
Totus in illius regnabat corde Lutherus:  
Hic pius, hic illi numinis instar erat.  
At postquam immodicas animo captauit auaro  
Inde recessurus quas cumularet opes,  
Incidit aduersos modo transfuga factus in hostes  
Lenis ubi uitreo gurgite Nyssa fluit.  
Abnegat



Abnegat hic ipsum detestaturq; Lutherum,  
Nec non Pontificem, quem prius odit, amat.  
Sic aus & muris nomen prætendere nouit,  
Viceliocq; parem se leuitate facit.

ELEGIA EIVSDEM FELICIS  
FIDLERI DE RADICE MAL-  
LORVM SCRIPTA IN FRIE-  
DERICVM STAPHI  
L V M.

FERTILIS assiduo uiret area spreta colono,  
Flore sub inculto proueniente solo  
Sponte thymum, uiolascq; leues, herbasq; salubres  
Cinctus ab irriguis educat hortus aquis,  
Vna mali radix nullis æquanda uenenis  
Occupat in media sede recepta locum,  
Illam terribilem memorant seuisse Draconem,  
Et frutici uires imposuisse suas.  
Non erat ille Draco, qui cæsus ab hospite Cadmo.  
Candida nascendis præbuit ossa uiris  
Non ope Medææ somnos cui fecit Iason,  
Aurea phryxææ uellera nactus ouis :  
Sed qui foemineam monitor suggestit in aurem  
Dentibus ut tereret noxia mala suis.  
Pessime flos, quali referam tua carmina uersu,  
Nempe Lycambeo carmine digne cani.  
Peste tua superas uirosi gramina ponti,  
Si quid & his peius Colchica terra parit.  
Nil aconita ualent diræ coniuncta cicutæ,  
Fama ueneficij te penes una manet.

C 5

Hæc



Hæc quò vicinas radicibus inficit herbas  
Triste sub occulto cortice uirus habet.  
Cum sit aquis immersa sitit, suecosq; propinquos  
Attrahit, expleri nec tamen inde potest.  
Ut bibit, & potis non est faciabilis undis  
Cui uenter tumidis sub cute turgēt aquis:  
Sic madet atq; siti diffusa liquoribus ardet,  
Et prodit uicium liuida caule suum.  
Perstat hyperboreis spirantibus integra uentis,  
Et quouis anni tempore firma manet.  
Si quis edat pectus curis mordacibus implet,  
Et poterit summi criminis esse parens,  
Iura manu uiolat, turbaq; sine ordine rectum,  
Inq; scelus, spretis legibus, omne ruit.  
Venales animas exponit & horrida miscet  
Bella, nec innocuos fallere turpe putat.  
Diruit alta cauis circumdata moenia fossis,  
Et necat infantes prodicione uiros.  
Et pietatis habet passim uenalia iura  
Prostat & in questu pro meretrice sedet  
Anne suis parcat quæris? pietate remota  
Infida patrios diripit arte focos  
Appetit indignos animo sceleratus honores,  
Et miser inuidiæ pectora plena gerit.  
Vera lues, & causa mali, sentinaq; dici  
Hæc radix scelerum perniciosa potest.  
Qui ferro sacra confodit in æde Sichæum  
Hæc radice ferunt exatiasse famem.  
Tu quoq; gustasti, stygio scis unde sub orco,  
Eludant rictus, Tantale, poma tuos:  
Euclio seruatae custos uigil additus ollæ  
Dicitur hos plena fauce uorasse cibos.

His



His inhiat Staphylus genuinus frater Iudæ,  
Ater in infido pectore crine ruber,  
Expleat ut rictus auidos fingitq; mouetq;  
Queis defensa prius dogmata uera grauet,  
Nulla illi pietas, sed mens sat conscia ueri  
Hac fame uicta furens in scelus omne ruit.  
Qui faciles animos, & commoda tempora uitæ  
Quærit, ab his escis abstinuisse uelit.

F I N I S.

1557.



Quare ad his etis abstinere uelle  
Cuius animos & commoda tempora uis  
Faciam: uita uicis in seculis omne tunc  
Nulla illi pias; sed uis in conuictis uis  
Quis uelens prius dogma uis uis  
Explicat uis uis uis uis uis uis  
Aut in uis uis uis uis uis uis  
In uis uis uis uis uis uis uis

F I N I S .

1777.





153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86






*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in two columns on a single page. Several large initials are written in red ink, including 'D', 'E', 'F', 'G', 'H', 'I', 'K', 'L', 'M', 'N', 'O', 'P', 'Q', 'R', 'S', 'T', 'U', 'V', 'W', 'X', 'Y', and 'Z'. Some lines of text are underlined in red ink. The parchment is aged and shows signs of wear, including stains and discoloration.]*







SYNODVS AVI-  
VM DEPINGENS  
MISERAM FACIEM ECCLE-  
SIAE PROPTER CERTAMI-  
NA QVORVNDAM, QVI DE  
PRIMATV CONTENDVNT,  
CVM OPPRESSIONE  
RECTE MERITO.  
RVM.

